



Halle



1731, 26

FACULTATIS JURIDICÆ

P. T.

DECANVS,

ERNESTVS TENZELL,

JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.



ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typog.




ERNESTVS TENNELL
DECANVS
R. T.
FACULTATIS IURIDICAE

IOVS
EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MCVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMVS IVCNII PROVICIARIS ERFORDIE
SIS ASSESSOR AC DICTE CIVITATIS
CONSUL PRIMARIVS.

L. B. S.

ERFORDIE
Typis ION. CHRISTOPHORI HERINGII
Acad. Typog.





Vemadmodum Naturalis juris, scri-
ptique simul certa ratio in hoc
potissimum sese exerit, ut societas
hominum inter se, & quasi con-
sociatio quædam, & vitæ com-
munitas recte ac convenienter
custodiri posset: Ita originem so-
cialitatem istam non aliunde quam ex æterna cordibus
hominum inscriptâ lege, dilectione scilicet DEI, &
proximi, trahere, nemo erit, qui negabit. Inde igitur
omne jus Naturæ est, tam concreatum, quam revela-
tum. Non aliunde etiam est, præcellens Juris nostri
præceptum: ALTERVM NON LÆDERE; quo cer-
tè tam manus, quàm linguam ac ipsam mentem san-
ctè religiosequè cohibere, fas est. Sed quamdiu inter
homines post lapsum primorum Parentum, summa
hæc virtus regnaverit, sacræ docent paginæ. Si-
cuti enim per invidiam Diaboli peccatum in mundum
penetravit, ita ejusdem invidiæ fructus longè latequè
cum hominibus propagati sunt. Invidia quippe fuit,
quæ

quæ Cainum primum Evæ filium, seposita dilectione fraternâ, impulit, ut fratrem suum Abelem interficeret, quod JOVA munus Abelis ex primigenis gregis oblatum, præ Caini quod de terræ frugibus libavit, respexit. Quod primum delictum est, cujus sacræ literæ post Lapsum hominum, facit mentionem. Sic enim jam isto tempore fratrum quoque gratiam raram fuisse constat. Et quid de nostris temporibus dicemus. Plautus ait:

Millibus ex multis, unus vix fidus amicus,

Hic albo corvo rarior esse solet.

Quàm major verò est amicorum penuria, tantò major est inimicorum copia. Quæ inimicitia ad extremum planè proximi exitium, imò ad fortunæ & vitæ perditionem sæpe sese extendit, nullo habito ad comminationes vindictæ Divinæ respectu. Qui mores corrupti quidem in illis excellere videntur, qui manus suas sanguine fratris sui maculant: *Quid enim horribilius, quam hominem, ad imaginem, & similitudinem DEI factum, occidere?* C. 4. X. de homicid. *Quid detestabilius, quam hominem interficiendo, DEI officium sibi usurpare.* Deuter. cap. 52. Job. cap. 14. Augustin. in c. quicumque percutit 23. qu. 8. *Quid atrocius, quam Rempublicam, cujus interest homines conservari, hominibus privare? I. cum ratio ff. de bon. damnat. Quid gravius, quam sibi naturâ similem, trucidare?* verba sunt Carpzovii in *Practica Crimin. P. 1. Quæst. 1. n. 2. 3.* Facile inde, quid de illis, qui in propria quasi viscera sæviunt, dicendum, apparet, qui scilicet Parricidium committere non verentur. Sicuti enim inter delicta, quæ in hominem committuntur, nullum gravius

vius homicidio ita inter omnia homicidia nullum reputatur horribilius, quam Parricidium. *Hostiens. in Summario de his qui fil. occ.* Cujus quidem immanitatis rei, ipsas bestias feritate superare videntur. Neque in mentem hominis sani venire posse videtur tam fecdum, tam horrendum facinus perpetrare. Ex qua ratione de *Solone* Atheniensium Legislatore, ut & de *Romulo*, quod legem de hoc crimine non tulerint, refertur. Quamvis autem crimen istud propriè tantum ab illis, qui Parentes & liberos occiderunt, committi videatur, quod vel ex *rubr. Tit. Cod. De his, qui Parentes vel lib. occ.* colligi posse videbatur: tamen præterea & illi, qui conjugem, fratres, sorores, cognatos, affines, vitricum, novercam, focerum, privignum, & privignam occidunt, parricidæ sunt, & *Lege Pompeja de Parricid.* tenentur. *l. i. §. l. d. §. i. ff. ad L. Pomp. de parricid. j. §. 6. J. de public. jud.* Requisivit autem, immanitas hujus delicti, ut etiam gravior de eodem statueretur poena, ut quos natura ipsa, retinere in officio non posset, ii magnitudine poenæ, deterrentur. Poena quippe culei pro talibus bestiis fuit inventa, ita, ut insui voluerint Legislatores Romani in saccum ex corio factum vivos, parricidii damnatos, unà cum cane, viperâ, simiâ, (cujus loco felis adhiberi solet) & gallo gallinaceo, atque ita in mare aut flumen præcipitari, aut si mare, vel flumen, propinquum non sit, bestiis subjici. *L. p. ff. ad L. Pomp. de parric. L. un. C. de his qui Par. vel lib. occid. d. §. 6. J. de publ. Jud.* Cujus poenæ singularis ratio explicatur in *d. l. un. §. 6. add. Lundo a. 14. vers. Nun möchtest du sagen ic.* Inde

quæstio oritur; an in omni parricidio gravissima ista
culci poena locum habeat? Quod affirmandum vide-
tur ex verbis generalibus *d. L. un. aut omnino affectionis
ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur* Et *§. 6. J. de
publ. Jud. ibi affinitatis ejus* Et c. (ubi legendum *affec-
tibus ejus* putant nonnulli;) Sed quicquid sit, cum ma-
jus sit crimen parricidii in lineâ recta & ratione conju-
gum commissum, vel ipsa etiam æquitas majorem in-
talibus requirit poenam, idem communis sententia ob-
tinuit, ut in his tantum personis hæc poena adhibea-
tur, sicut & in *Const. Crim. art. 131.* hujus poenæ exa-
cerbatio arbitrio Judicis relinquitur. Plura de hisce
tractabit

NOBILIS JURIVM CANDIDATVS
DOMINVS

JOHANNES JACOBVS

Schreckensuchs/

in Lectione sua Cursoria ad

L. Un. C. de his qui Par. aut Lib. occid.

Cujus nunc vitæ curriculum sequens, referre licet.
Primæ lucis particeps factus est Officii (Oschatz) anno
sal. hum. MDCC IV. d. 29. April. Patrem habuit Dn.
JOHANNEM ADAMVM SCHRECKENFVCHS, Juris
Practicum Celeberr. ac Syndicum ej. loci meritiss. jam
pie defunctum. Matrem, Dn. ANNAM MAGDALE-
NAM, ex stirpe Winckleriana ortam, quam adhuc su-
perfitem, filiali amore, ad cineres usque veneratur.
Optimi hi Parentes in eo antè omnia fuerunt solliciti,
ut

ut à teneris pietate, probis moribus, literis humanioribus ac artibus liberalibus filius imbueretur. Traditus ad hunc finem fuit scholis tam privatis, quam publicis. Absolutis studiis Scholasticis, ad altiora, ad Illustrum scil. Lipsiensem Universitatem Anno Christi M DCC XX. transit. Ibidem à gerente tunc sceptrum Academica Magnif. Dn. BVRCHARDO MENCKENIO albo Studiosorum nomen ipsius insertum fuit. Initium Studiorum à Philosophicis disciplinis fecit, & quæ ante cœpit, jam ductu Dn. D. MÜLLERI continuavit. De hinc vero cum animus vestigia Paterna sequi inclinaret, ad Studium Juris sese accinxit, ac Collegia Jctorum & P. P. Illustrum ac Excellentiss. publica & privata frequentavit, præprimis B. MENCKENII & SCHVBARTI, nec non Dominorum GRÜBNERI, RECHENBERGII, RIVINI, WEIDLINGII. Nec in theoria solum substitit, ut praxin quoque illæ jungeret, & quomodo prudenter jus ad facta in foro applicari debeat, addisceret, sincera manu ductione Consultissimi Dn. D. SCHLEGELII, occasionem nactus est, eamque magis magisque excoluit, dum in Præfecturâ Eythrensi Actuarii Officio functus fuit. Ut verò eò felicius causas in foro orare posset, præmia studiorum appetere, constituit, hancque suam mentem literis nostræ Facultati exhibitis exposuit. Moribus igitur majorum insistentes, tempus ad examen rigorosum ipsi indiximus, textusque ex utroque jure, Canon. scil. & Civili ab initio examinis explicandos, transmisimus. Cum autem in examine scientiam juris acquisitam satis nobis comprobaverit, nullum fuit calculo omnium dubium

biūm, quin dignus iudicatus fuerit, qui ad reliqua spe-
cimina Inauguralia admittendus sit. Proxima itaque,
die Lunæ, 7. h. Maj. in Auditorio Jctorum Majori D.
V. expedienda publicè expediet. Initium scil. faciet à
Lectiōe Cursoria ad

Li. Un. C. de his qui Par. aut Lib. occid.
hâcque finitâ, Disputationem Inauguralem,

EX MATERIA

DE DONATIONE PROPTER NVPTIAS

IN SPECIE VERO

DE QVÆSTIONE:

AN, ET IN QVANTVM DONATIO PROPTER
NVPTIAS SECVNDVM NOVISSIMVM JVS SA-
XONICVM VXORI UTILITATEM PRÆSTET?

habebit. Quibus actibus ut interesse velint, Reveren-
dissimus Dn. Rector Magnificus, Facultatum Domini
Decani, Professores, Doctores, Magistri ac Cives, eâ
qua par est reverentia, ac humanitate invitantur. Pu-
blicatum Dominica Exaudi 6. Maji Ao. M DCC XXXI.
sub Sigillo Facult.

L.S.

ULB Halle


3


005 367 751



VD 78







1731, 26

FACULTATIS JURIDICÆ
P. T.
DECANVS,
ERNESTVS TENZELL,
JCTVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSVL PRIMARIVS.

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typog.

32

